

mæ perfectiones non sunt nisi in summè perfecto Ente.

10. Et sic alię plurimę comparationes, ad rem de qua agimus illustrandam aptissimæ, institui possunt, quæ causa fuit, cur illis in paraphrasi Meditationum Cartesianarum, quam adornare cæpi, subinde locum dederim.

## EXERCITATIO IX.

*An mens nostra ideo cogitationem de substantia infinita possit habere, quia se ipsam finitam cogitat.*

1. **P**hilosophi ex Meditatione tertia verba sic profero simul & explano: *Quamvis substantia quidem idea in me sit ex hoc ipso quòd sim substantia ( adeoque ipse possum exemplaris causa esse illius ideæ secundùm esse vicarium spectatæ, præterquam quòd ejus causa sim secundùm esse proprium ) non tamen idcirco esset idea substantiæ infinitæ, cum sim finitus ( adeoque non possum exemplar esse istius ideæ, quatenus mihi repræsentat infinitum, quia hoc esse objectivum non se habet ut vicarium & mei esse, veluti alicujus principalis ) nisi ab aliqua substantia quæ revera esset infinita procedat ( nempe tanquam*